



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Quomodo lauat pedes?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

fabant violatæ legis, alij Iudæ à Deo reuelatum vt eum proderet, adeoque diuino id iussu factum. S. Irenæus libro 5. cap. 29. *Omniem malitia commixtionem ante diluuium factam esse ex angelica apostasia, nec minus in posteris lex ea valuit, quæ demon sibi in hominibus ad flagitium impellendus in hodiernum vsque diem pestilentissimo labore occupatur.* Origenes in Iob, cum in illa verba commentatur: *Vnde venis? Ab homicidiis, à sanguinibus, ab adulteriis, à surti mendaciis, horum auctor & inuentor existens super terram.* Vnde venis tu? ab interuisione Abel, à Gigantum impudicitia, à turri contumacia, ab Esau auaritate, à Pharaonis pertinacia.

De Caianis ita refert Irenæus lib. 1. cap. 34. *Alj rursum Cain à superiore principalitate dicunt & Esau & Core, & Sodomitæ, & omnes tabes cognatos suos consentur, & propter hoc à factore impugnatos, &c.*

Iudam qui laudent.

Hæc Iudam proditorem diligenter cognouisse dicunt. Et solum cæteris cognoscentem veritate perfectæ prodicionis mysterium. per quem & terrena, & cælestia omnia dissoluta dicunt, & confidionem adferunt eiusmodi. Euangelium Iudæ illud vocantes.

Horum consors etiam Iudas fuit. Theodoretus, Caianos dixisse; *Cain superiore auctoritate fuisse liberatum: eum & cæteros odio habitos à creatore.* Sed nihil ab eo noxia accepisse. sapientiam enim ab eis eripuisse, quod in illis habebat. Vide etiam Epiphanium contra hæresin 38. alios quoque qui de Manichæis & Gnosticis egerunt. Vide etiam Nicetæ orthodoxiam. Et hi quidem demonibus, aut Angelis illa tribuebant auctoribus sua scelera, fœda & horrida Gnosticorum progenies: eorum tamen infaniam longè superarunt, quos Vsinulca auctore furentes, quidam apertissimo nomine Hyperephanios appellat, qui in Deum ista transcribunt. Verecundius enim veteres Angelos, scelerum auctores, quam Deum nostri appellarunt. Illi quidem ad flagitia sua angelos hortatores, & adiutores sibi esse iactabant, nostri Hyperephanii Deum etiam impulsorem, & coactorem esse blasphemant. Negant quidem nonnulli id se dicere, sed suis libris conuincuntur. Nicolaus Greuinchouius in absterfione calumniarum Adriani Smoutii eos ita sentire probat. vt ostendi in Coronide omnium Iubilorum pagina 289.

Caluinus ita dicitur in Argenti de.

Deum Caluinus ita dicitur in Argenti de.

Obiecerunt olim ista Borborianis nostris, non modo Catholici, sed etiam Lutherani, & Caluiniani alij. Hunnius, Albertus, Melancthon, Henningius, Gellius, Snecanus, Anastasius Veluanus, inter cæteros Philippus Nicolai, integris tractatibus docet, Deum Caluinianorum ipsum esse cacodæmonem.

### VERSUS 3.

*Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, ad Deum vadit.*

### QUESTIO I.

*Quomodo Pater dedit illi omnia in manus?*

§. 1. **N**on sunt audiendi, qui verbum *ei dicit, sciens*, ad Iudam referunt, quasi sciuerit Patrem omnia in manus Christi tradidisse. Non conueniunt ista proditori, itaque nonnulli codices Latini addunt nomen Iesus, quod est in pluribus Græcis: *ei dicit Iesus. Sciens Iesus.* Vide Gregor. Moral. lib. 3. cap. 11. Sciensigitur ista **CHRISTVS** filius Dei naturalis tanto amore, ac maiestate digna opera facturus po-

nit vestimenta ac pedes lauat. Iam autem omnia danda erant: Imperium in omnes, etiam diabolium, cuius suasionem moriturus erat. Omnia dedit, etiam moriendi potestatem, matura iam redemptione. Et si ergo tradendus esset ipse aliorum potestati, ipsi tamen Domino tradita sunt omnia. Tradita sunt autem vt homini, nam vt Deo omnia ab æterno illi tradita fuerunt, quæ & ille facturus erat; vt enim primum requæque facta est, ita etiam mox tota quantæ est, creatio est. Et plana quidem est ista responsio, contra eos, qui filium Dei omnia accipientem à Patre, minorem Patre dicebant. Accipere sanè eius est, qui non habuit.

Chrysofomus tamen aliam responsionem etiam adhibet. Nihil enim ex eo minorem esse demonstrat.

Cum verò traditionem audis, nihil humanum suspicari: honorem enim erga Patrem & concordiam signat. Quemadmodum enim Pater ei tradidit, ita & ipse Patri: & hoc indicat Paulus, inquit: Cum traderet regnum Deo & Patri: hoc autem hoc in loco humanus locutus est, multam eorum curam, & in credibilem dilectionem præferens, tanquam familiares eos curans, honorum matrem humilitatem docens, quam & principium & finem inquit esse virtutis.

§. 2. A Deo se exisse dicit, cum formam serui acciperet, non mutatione sui, aut in alium locum egressu, sed humanitatis assumptione. Redire autem dicitur, cum humanam naturam cum diuinitate iunctam in cælo collocat: Cum igitur illa consideraret, à Deo se exiuisse, ad Deum redire, tantæ humilitatis opus hominibus ad exemplum proponere voluit, qui non alio modo ad Deum, nisi modesti adire possunt, cum eum qui exiuit, non nisi sic redire credunt. Si enim illi tanti stetit reditus, quid nobis futurum est, qui de puluere exiuius? si tantus sit tumor noster, vt eum cælestis portæ angustia non capiant: Interim nec à Deo exiens Deum deseruit, nec ad Patrem rediens, nos relinquit.

### VERSUS 4. & 5.

*Surgit à cæna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteam, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cepit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus.*

### QUESTIO I.

*Quomodo lauat pedes?*

§. 1. **C**um tantus ac talis esset, magna diligentia pedes lauat. Docetque nihil boni operis faciendum esse negligentem. Itaque vestimentum ponit, togam superiorem, non enim pene nudus lauit, vt Origenes falso putauit. Deinde linteo se cingit, Græcè etiam *λέων* appellat. Syrus vero *ܟܝܪܝܘܫܝܢ* *sedona*, quasi Syndonem dicit. A S done esse memorant, at Sidon non per Samech, sed *ʿ* scribitur, & licet soleant mitigare atperitatem Hebræam Syri, Sidonem tamen appellant *ܟܝܪܝܘܫܝܢ*. Verum parum hoc forte adtem, licet omnia Scripturæ verba magni sint estimanda. Hoc potius animaduersione dignum est: **ܟܝܪܝܘܫܝܢ** præcingi voluisse linteo; venerat enim ministrari. Cinctura autem ministrantium tium est. Syrus habet cinctum fuisse *ܟܝܪܝܘܫܝܢ* *chat-*

ebat: aubi, in lumbis suis. Ipse denique mittit aquam in peluim, ipse omnia administrat.

§. 2. Illo tamen opere in speciem fordido & seruuū maiestate in suam declarauit: quod Apostolorum discipulus Irenæus agnouit lib. 4. c. 39. In nouissimis autem temporibus cum uenit plenitudo temporis libertatis, ipsum uerbum per seipsum sordes abluunt filiorum Sion; manibus suis lauans pedes discipulorum. Qui enim pedes lauit discipulorum, totum sanctificauit corpus, & ad emundationem adduxit.

Illam igitur lotionem figuram esse dicit eius, qua quotidie sordes peccatorum, abluuntur, & eundem esse qui pedes Apostolorum, & qui sordes filiarum Sion olim absterfit. Ita & Cyprianus de lotionē pedum, siue quis alius est auctor, & Augustinus in hunc locum, & Cyrillus exponunt. Consule & Augustinū de uirginit. c. 32. Tert. de patientia. c. 3. Tertull. l. de baptismo c. 9. Notat Christum plurimū aqua utum, eaque re baptisimi sacramentum probat; quin etiam id in ueteri testamento factum, elegans est eius ratiocinatio, & ipsum audire fas est. Quot igitur patrocinia natura quot priuilegia gratia, quot solennia disciplina, figuræ præfinitiones, preces, religionem aque ordinauerunt. Multa recenset aquæ mysteria, & concludit, baptisimum illis figuratum, qui & ipse in aqua confectus.

Est autem sanctissimum ministerium alienas expurgare sordes, Dominus tamen sordes omnium fordissimas, putentissimas, & grauissimas absterfit, sordes peccatorum.

§. 3. Hanc ob causam lotionem pedum quidam in et sacramenta recensent, Est enim carimonia sacra à Christo instituta, quam etiam esse uisitam Apostolis Christianisq; uoluit. Mysteriū indicat, quod tum Petrus nesciebat, promissionem gratia habet, & minas in negligentes; nisi laueris te, non habebis partem meam. Hinc Cyprianus, de ablutione pedum. Ambr. l. 3. de sacram. c. 1. Bernardus sacramentum appellant. At non dicunt illi proprie sacramentum esse, ideoq; falso à Kemnitio alijsq; traduntur, quasi plura sacramenta, quam Catholica facit Ecclesia, agnoscunt. Ambrosius symbolum baptisimi esse existimat, nec eos damnat, qui non utuntur lotionē pedum. Cum uero ille Baptisimi necessitatem sepe inculcet, & baptisimi symbolū ab ipso baptisimo separat, nullo modo pro sacramento proprie dicto usurpat.

Quomodo sit sanctificatio & mysterium, ipse uerbo definit. Quia in baptisimo omnis culpa diluitur. Itaque carimoniā dicit, & baptisimatis figuram: non autem proprie sacramentum. Cyprianus siue auctor de ablutione pedum non uocat sacramentum, quo utamur, sed eam lotionem qua Christus Apostolorū lauit pedes uocat sacramentum, & significationem eius purgationis quotidianorū, qua in nobis sit peccatorum. Verba sunt: Et ne quid consummationi doctrina deesse, inter fixa, & immobilia præcepta, & ea que moueri possunt, & reperi, distinctionem posuit, ut ceteris immutabiliter semel statuta, uelut lauari species, quotidianis expiationibus commodata commendaretur fidelibus, qui magis in

Et deinde. Propter hoc benignissime Domine pedes lauas discipulis: quia post baptisimum, quem sui reuerentia non patitur iterari, aliud lauacrum procurasti, quod non debeat intermitteri: amen ipse, quod doces, factū: ut quæstus hoc opus suū, ex tua bonitate discamus, & inclinatis ad nostros pedes altitudine tua, stans aduersus proximos, & erigens se contra Deum confundatur superbia hominum, & ad humilitatem Dei, nouerit de se humilia sapere lutum.

Non habet illa lotio gratia promissionē, nec iustitia est, ut sacramentum, sed ut officium humilitatis & caritatis. Nec peccant illi, qui eam non usurpant, etiam totæ Ecclesiæ, ut Romana, sed nec unquam in Ecclesiā ad remissionem peccatorum est inducta.

Adami Couzen in Euang. Tom. II.

## QVÆSTIO II.

Reclene faciant prelati qui subditorum lauauit pedes?

§. 1. **B**ucerus negat Christum lotionem pedum tantum exigere Nequaquam, inquit, lotionem pedum tantum exigit Christus, sed uera dilectionis officia quauis. Ita sane est, si n. Deus noster eo se demisit, quid nos facere oportet, & si pedes aliorum lauare, nonne & alia præstare fratribus oportet? Subiungit. Nihil minus, quam Christum imitantur episcopi, dum quotannis semel aliquot pauperum pedes abluunt, & deosculantur. Cur uero non imitantur Christū. Quod Christus fecit, faciunt, & ipsi. Linteo se præcingunt, aquā mittunt in peluim, pedes lauunt. Cur igitur non imitantur? An quia quotannis semel faciunt? At Christus tota uita semel fecit. Nō ideo igitur accusandi, quod semel faciunt, forte & sæpius faciunt. Cur igitur non imitantur. Quia non modo ante lotos, sed aqua etiā odorata perfusos lauunt, & deosculantur. Theatrica lotionem Caluinus appellat. Sed tamen etiam lotos lauare pedes pauperum, & odoratos abluere, & deosculari uirtutis est, ministrant illis ad mensam nō modo Episcopi, sed dynastæ, reges, imperatores, & Dominum humilitate sua imitantur, sane figere oscula pauperum pedibus, lauare utcumq; lotos, opus est illius, qui fratribus humilia obsequia deferre didicerit, qui superbiam fregerit. Quamuis igitur delicatum ministeriū uideatur, lotos, & odoratos pedes abluere, tale tamen officium est, ut humilitatis commendationem mereatur, & fastidiose magnatū uitæ possit ignosci, quod ad factores, & sordes illas abstergendas non satis animi habeant. Imitantur Christum, sed dispare facto. In secundis tertisq; subsistunt, primas non attingunt. Quin etiam fallum est, quod de lotis & odoratis pedibus iactant, alibi aliquando factum credo, semper, & ubiq; nego. Imo nec crebro quidē. Interdum pauperes ante domi uerecundia causa abluunt, non culpabili ciuilitate, ne putorem suarum sordium Episcopo ingerant, alij id negligunt. Vtrisque lauuntur pedes.

§. 2. Caluinus aliam causam cōmiserit. [Quotannis theatricam pedū lotionem instituunt: Ita inuaduntq; egritudine se pulchre defunctos putant, de-  
functi sibi permittunt fratres contemere. Neque id modo: sed postquam duodecim hominibus lauerunt pedes, omnia Christi membra se suosq; crudeliter la-  
cerant, atq; adeo in faciem ipsius Christi conspuunt.]

At non ideo lauare pedes malum est, quia contemere fratres peccatū est. Possunt hoc recte facere, possunt in alijs delinquere. Attamē quos Caluinus Christi membra appellat, Episcopi re etius iudicant membra dæmonis, lupos non parcentes gregi: quos dū expellunt, Christum imitantur. Fures sunt, & latrones quos contra armati pastores oportet, ne mercenariorum ritu gregem prodant: Et mirum esse non debet, si illi quorum auidaciā sacra & profana per totā Europam sunt lacerata, fidelium Episcoporum uigilantia, & imperio sint compelli, ne quo arbitrio in uitam & sanguinem miserorum gradari possent. Quid in Belgio, Francia, Anglia egerint satis Theatram Caluini-  
sticæ crudelitatis demonstrat. Historia Gallicæ, Belgicæ, Anglicanæ nobis illa omnia exhibent. Neque ulli illa elatius quam Lutherani depinxerunt.

At noluit Christus annuam esse carimoniā, sed nos semper paratos esse uoluit, ad lauandos fratrum pedes. Respondeo: Paratos nos esse uoluisse: ac eo nos externa carimonia, seu potius exercitium ducit: eo enim admonebat officij nostri, non modo cum doctrinam Christi audimus, sed etiam cum eius imitationem spectamus.

Pp

§. 3. Mus-